



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbati Et Conventvi de Valle sancti Petri Cisterciensis ordinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

stularunt ut cum propter causas prædictas meritò fuerit appellatum, sententias ipsas decerneremus irritas & inanes. Ad ea verò quæ præfatus Archiepiscopus super propria spoliatione proposuit responderunt quòd ipsum nequaquam spoliatum credebant, sed si de ipsius spoliatione constaret, quòd ei debita heret restitutio promiserunt. Cùmque ipse Archiepiscopus fateretur contra jamdictas fuisse sententias provocatum, sed provocationem ipsam negaret ex causis propositis factam esse, ac procuratores prædicti per duos ex ipsis & Archidiaconus Argolicensis, qui procurator non erat, se id in præsentia nostra dicerent probaturos, & propter hoc etiam parati essent obligare omnia bona sua, nos licet per hoc ad decisionem negotij legitime procedere non possemus, cum iidem in una eademque causa de jure non possent esse procuratores & testes, ad cautelam tamen ipsorum juramentis receptis, de fratrum nostrorum consilio sic duximus providendam; ut videlicet dicti nobiles corporaliter exhibeant juramentum quòd parebunt præcisè mandatis quæ ipsis per litteras aut Legatum vel delegatum nostrum super hoc duximus facienda, & tunc relaxatæ denuntientur sententiæ supradictæ; cognitione negotij principalis & aliorum quæ idem Archiepiscopus proposuit coram nobis, Legato quem ad partes illas de latere nostro destinare proponimus reservata. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus recepto à præfatis nobilibus secundum formam expressam superius juramento sententias ipsas denuntietis auctoritate apostolica relaxatas, & si præscriptæ appellationis causæ coram ipso fuerint probatæ Legato, nihil eis occasione dictarum sententiarum injungatur, sub debito præstiti juramenti. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Vos denique, frater Episcopo, & fili electe, super vobis ipsis &c. Datum Signiæ vii. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ABBATI ET CONVENTVI
de Valle sancti Petri Cisterciensis ordinis.

I Vltis petentium desiderii &c. usque assensu, diffinitivam sententiam quam pro vobis major Decanus Colonienfis & conjudices ejus contra nobilem virum Arnoldum de Hukensvuage super allodio in Casselle rationabiliter promulgarunt, sicut est justa nec legitima provocatione suspensa, auctoritate apostolica confirmamus &

præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. usque incursum. Datum Signiæ ix. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ABBATI ET CONVENTVI
de Alba Cisterciensis ordinis.

S Olet annuere sedes apostolica &c. usque assensu, possessiones de Ottefvuilre, de Rastede, de Winkil, de Hart, de Malse, de Lindehart, de Schivenhart, de Breheim, de Terdingen, de Bernardesvuilre, de Diethenhufen, de Delenbrunnen, & de Molebrunne, ac alia bona vestra, sicut ea omnia justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. usque incursum. Datum Signiæ ix. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

PRÆPOSITO FERRARIENSI.

C Vm tibi curam & administrationem massæ de Ficarolo duxerimus committendam, mandantes ut proventus ejus recipiens, ad opus nostrum reserves eodem, miramur quòd nihil nobis super hoc rescribere curavisti. Quocirca per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus quatenus quicquid super hoc feceris nobis quantociùs scribere non omittas, & loci prædicti curam & administrationem habeas diligentem; contradictores aut detentores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescens. Datum Signiæ vii. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

NOBILI VIRO MARCHIONI
Estensi.

I Nter alias rationes ea consideratione potissimum claræ memoriæ patri tuo Anconitanam Marchiam in feudum duximus concedendam, quia promiserat nobis quòd eam valida manu ingrediens, ipsam ad Ecclesiæ Romanæ dominium revocaret. Sperantes autem te in eodem negotio processurum, sicut tuis nobis litteris intimasti, super hoc litteras tibi transmisimus quales vidimus expedire. Verùm cum in hoc nondum processeris, & de levi, maxime temporibus istis, Marchiam ipsam ad dominium nostrum revocare possimus, nobilitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus in negotio ipso procedas. Alioquin, ne diutius Ecclesiæ spoliata re-

H H h h h iij

Epist. 100. Confirmantur eis quedam possessiones.

Epist. 101. Eum admodum nec sui officij, vide infra epist. 143.

Epist. 102. De Marchia Anconitana revocanda.

Epist. 99. Committitur ei executio cujusdam sententia. Cod. Colbert. Hubbelvvaage